

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

Sectio II

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274)

HISTORIAE SECVLI XVII

SECTIO II


§. 1.

Sectio haec secunda res ab anno MDCXVIII usque ad annum MDCXXIX (quo *Ferdinandi II* Edictum aduersus Protestantés promulgatum est) completur Ecclesiasticas.

§. 2. Ad has pertinent primum *Synodus Dordracena*, deinde conuersio rerum in *Bohemia*. Nam postquam dissidium inter *Arminianos* et *Reformatos*, de quinque articulis exortum, haecenus amicabili modo non potuisset componi, et partium studiis ciuitates etiam dissiderent, tumultu interdum perstreptentes; anno MDCXXIX *Synodus Dordraci* conuocata est, ad quam non tantum *Bataui*, sed exteri etiam *Theologi* e *Britannia*, *Palatinatu*, *Hassia*, *Heluetia* et aliis *Germaniae* partibus conuenerunt. *Iohannes Bogermannus*, *Pastor Ecclesiae Leouardiensis*, *Synodo* praesidebat. *Arminianorum*, seu *Remonstrantium* causam agebat *Simon Episcopus*, os *Remonstrantium* dictus, uir doctissimus grauissimusque. Enimuero hic nomine *Remonstrantium*, contra modum procedendi protestatus est; quod qui aduersam partem tutabantur, federent iudices, qui inauditos (ut in *Synodo Tridentina*) *Remonstrantes* damnaverent. Multis cordatis ea iudicii forma displicebat, nec *Mauritius*, Princeps *Arausionensis*, inuidia caruit. Interim *Reformati* reiecta *Arminii doctrina*, *Confessionem Belgicam* et *Heidelbergensem Catechesin* confirmarunt. Prolixa est historia, longae sunt ambages, quae ex *Actis et Scriptis Synodalibus Dordracenis*

Mini.

OC
37
116
ue
di-
le-
ad,
m
ue
if-
e-
X
m
ti-
n-
ae
n,
r,
fi-
n-
d-
n-
es
e-
ia
i,
in
a-
is
i.




*Ministrorum Remonstrantium in Foederato Belgio Har-
deruici impressis, item SIMONIS EPISCOPI Tom.
II Opp. Part. II, nec non Epistol. Eccles. et Theolog.
praestantium eruditorum uirorum Amstelodami editis,
optimè cognosci possunt. Coepit Synodus illa Cal.
Nou. MDCXIIIX, finita sequentis anni mense Maio.
Paucis post diebus, Grotio ad captiuitatem in arce Lö-
wenstein damnato, (ex qua tamen postea uxoris ope
euasit) Barnesfeldius septuagenario maior capitis sup-
plicio affectus est. Conf. *Theatrum Europ. Tom. I,
pag. 580, Epistol. Narrationem eorum, quae in Sy-
nodo Dordrac. gesta sunt in Epist. Arminianor. pag. 512.*
Occasione harum controuerfiarum doctissimus GERH.
IO. VOSSIUS *Historiam Pelagianam* scripsit, et Am-
stelodami publicauit.*


§. 3. Conuersio autem rerum uel motuum in Bo-
hemia, quae in hunc annum incidit, et insequentibus
durauit, paucis ita habet. *Matthias*, Imperator, li-
bertatem religio:is Bohemis a *Rudolpho* confirmatam
imminuere coeperat. Vnde multa ubique querela
Euangelicorum, spes emendationis exigua. Conuen-
tus ergo *Pragae* actus, in quo quum durius Caesaris
deputati *Guilielmus Slabata*, Comes de *Martinitz*, et
Secretarius, *Philippus Fabricius*, respondissent; Euan-
gelicorum deputati illos per fenestram praecipitarunt.
Sic iacta alea, libertas Bohemorum magis periclitari
coepit, ut tristis postea euentus comprobauit. Vid.
*RIASEC. Chron. fol. 313, et PVFFEND. Rer. Suec.
Hist. Lib. I, §. 22.*

§. 4. Hoc anno, *Iulius Caesar* (al. *Lucilius*) *Vani-
nus*, Italus, primum philosophiae et theologiae, dein-
de medicinae cultor, cui in irrisum sacra et religiosa,
(Christi humanitatem execrabatur, DEVM negabat;

forte uel casu omnia fieri differebat, naturam pro matre optima et omnium autrice adorabat) *Tolosae* in Gallia, ob nefandum atheismi crimen, iusto supplicio afficitur. Vid. GRAMMOND. *Hist. Lib. III, pag. 210, seqq.* Ceterum d. 9 Nou. styl. noui eiusdem anni, comera horribilis uisus in signo Scorpionis, cauda porrecta uersus Orientem, multos terruit, ceu belli funesti tricennalis futuri praefagium.

§. 5. Anno insequenti, Synodo Dordracena finita, *Arminiani* eiusdem decreta impugnant: quod inique cum ipsis in Synodo, ab aduersariis, qui simul iudicis et actoris partes sustinuisent, actum fuisset. Ideo Reformati, *Arminianos* ab officiis publicis excludunt, et magistratus ciuitatum noua iurisiurandi formula adstringunt. In *Bohemia* uero et annexis provinciis *Austriacis*, mortuo *Matthia* Imperatore, motus ob religionis periculum inualescunt; quod ille ante obitum, *Fermandum* agnatum suum, acerrimum *Euangelicorum* hostem, *Bohemiae* designasset Regem. Itaque Ordines *Bohemici* negabant, regnum a *Ferdinando* capessi posse, antequam praestita essent, quae debebantur. Querelas illas ac motus animorum, *PIASECIVS Chronic. fol. 317, seqq.* et *PYFFENDORFIVS Lib. I, §. 25*, commemorant. Tandem circumspexit rationibus, Ordines *Bohemiae* *Fridericum V*, Palatinum Electorem, Reformatae religioni addictum, sibi Regem constituunt. Vnde tristis mali in Ecclesia et republica initium. Ante *Casp. Scioppius* euulgato *Classico belli Sacri*, Principes Catholicos, ad bellum aduersus Protestantes accendit. Sed huic uirulento scripto, *Berneggerus*, sub nomine *Theodosii Berenici*, *Tubam Pacis* opposuit.






§. 6. Hoc anno MDCXX cum *Fridericus V.* Pragae in Regem Bohemiae coronatus, et mox in praelio prope Pragam uictus atque a Caesare proscriptus esset; bellum Germanicum magno Protestantium detrimento erupit. Nam *Ferdinandus* statim Evangelicos in Bohemia, et aliis diocibus suis oppressit, aut cecit, et incentores belli, Iesuitas ante ex Bohemia proscriptos renouavit. Vid. *PUFFEND. Histor. Rer. Suecic. Lib. I. §. 32, seqq.* Res etiam inter *Unionem* Evangelicorum et *Ligam* Catholicorum, post minacia utrinque scripta edita, in congressu *Vlmensi* composita fuerat: cum Foederati nullam curam Bohemiae se habere, testati essent. Itaque magno cum tripudio, uictoria Caesaris et clades *Friderici*, Romae acceptae sunt, dolentibus Bohemis, Silesiis et Lusatis, quibus ingum Pontificium imminabat. Vid. *IAEGERI Histor. Decad. II, Lib. X, cap. 6,* et *HEIDEG. Histor. Pap. pag. 341, seqq.* In ualle *Telina*, hoc tempore, Evangelicis a Pontificiis magna strages illata, quam *HEIDEGGERVS l. c. pag. 346,* et *GRAMMONDVS Lib. VIII, pag. 387,* describunt. Interea doctissimus Iesuita, *Jacobus Reibing*, ducis Neoburgici ecclesiastes, ueritatis Euangelicae convictus, ad Lutheranos transit, et *Tubingae* theologiam professus est nostram. Vid. *METERAN. Lib. XXXIX, SPIZEL. in Templo Honor. pag. 93.* In comitatu *Schaumburgico* anno MDCXXI die 27 Iulii, noua Academia inauguratur. Sed *Heidelbergae*, quam *Tilius* expugnauerat, sacrificuli missam celebrare coeperunt, spoliata instructissima Bibliotheca, quam *Bauarus* postea ceu sacri belli manubias, Papae donauit. Romae eodem anno d. 10 Octobr. *Paulus V.* Papa, uita excessit, cuius obitus hoc etcosticho signatus: *Mortuus est Vico Dels.* In cuius locum *Gregorius XV* furragatus,

tus, *Ceremoniale Nouum*, h. e. constitutionem de forma eligendi Papam, publicauit, ac Iesuitas quatuor, *Ignatium Loiolam*, *Franciscum Xauerium*, *Aloisium Gonzagam* et *Stanislaum Coskam*, et alios, in diuorum seu sanctorum numerum retulit. Vid. HEIDEGGERI *Hist. cit. pag. 350*, et TAEGERI *Hist. Decad. III, Lib. I, cap. 1, et Lib. II, cap. 1.*

§. 7. In *Hispania* adhuc controuersia, de immaculata *S. Mariae* conceptione feruebat. In *Gallia* Rex Edictum Nanneticum confirmat, apud GRAMMOND. *Lib. VIII, pag. 751.* In *Belgio* *Fœderato Petri Molinacii Liber*, cui titulus: *Anatome Arminianismi*, Arminianos grauitur offendit, qui ideo epistola ad illum exarata, uirum reprehendunt. Vid. *Epist. Remonstr. Theolog. p. m. 570, seqq.*

§. 8. Caesar interim anno MDCXXII odio in Protestantes maximo flagrans, instinctu *Caroli Carassae*, Episcopi Auerlani, hominis crudelis, eosdem e *Bohemia* eiecit, frustra pro illis Electore Saxoniae intercedente. Idem fatum mansit Morauos et Austriacos. In *Iaponia*, hoc anno crudelissime in Christianos saeuitum est. Immanitatem persecutionis VARENIVS de *Relig. Iap.* describit. Culpa excitatae crudelitatis, ex parte in Iesuitas confertur, quorum consilia de Papae auctoritate in Iaponenses, istis Regulis seditiosa uisa sunt.

§. 9. Insequenti anno, mortuo *Gregorio XV*, Papa, *Vrbani VIII* eligitur. Qui Duci seu nouo Electori *Bauariae*, a quo Bibliothecae *Heidelbergensis* spolia acceperat, subsidia in bellum aduersus Protestantes subministravit. Vnde *Tillius* exercitus *Ligistici* Imperator, bellum in Germaniam transfert; quod Protestantes aliqui ferius animaduenterunt, hoc nempe suum exitum quaeri. Hinc uariae de reducenda pace consultationes



tationes initas, quas tamen *Ferdinandus* subinde inani-
bus promissis elusit.


§. 10. Inter Theologos *Gieffenses* et *Tubingenses*, in-
de ab an. MDCXVIII controuersia de *statu exinanitio-
nis Christi* agitata fuerat; an illa in *nuda xpo*, siue
occultatione *maiestatis*; an uero in *reali xpo*, seu
euacuatione usus incessantis maiestatis consistat? Prius
cum *D. Thummio*, *Lucas Osiander* et *Melchior Nicolai*,
Theologi *Tubingenses* asseruerant: posterius cum *D.
Feurbornio*, *D. Winkelmannus*, et ex parte *Menzerus*
affirmarunt. Quorum literas hac de re commutatas,
IAEGERVUS Decad. III, Hist. huius seculi initio exhi-
bet. Noti etiam sunt de eadem libri editi *Thummi
ταπεινωσυγκατα*, et *Feurbornii xρωστυπατα*. Sed
ne maius inde offendiculum Ecclesiae nasceretur, *Theo-
logi Saxonici*, iussu Electoris, eam an. MDCXXIV de-
terminarunt, *Decisione*, ut uocant, publicata. Quibus
Tubingenses amicam admonitionem reposuere.


§. 11. Hoc anno *Cyrillus Lucaris*, Patriarcha Con-
stantinopolitanus, *Confessionem Christianae fidei* pro-
mulgauit. Quae cum aliquot Calviniana placita con-
tineret, *Cyrillus*, *Berrhoënsis*, et *Parthenius*, Constan-
tinopolitani Patriarchae, illam censura notarunt; Ie-
suitae uero ipsum apud *Primouesirum*, nouae haeresis
accusarunt; ut de fede sua deiiceretur. Vid. *Confess.
et Censur.* apud *Batauos Graece et Latine anno 1645*
edit. Per id tempus *Vladislaus*, Princeps Poloniae,
Romae ceremoniam Iubilaei Pontificii spectans, a Pon-
tifice obtinuit, ut factus ante Basilicae *S. Petri* canoni-
cus, *Veronicae* linteam, quo Christi crucem gestantis
faciem cruore adpersam dicitur absterxisse, attingere
sibi liceret, apud *PIASEC. Chronic. pag. 372, seqq.*

§. 12. In Gallia an. MDCXXV, Facultas Theologica Parisiensis, Antonii Santarelli Iesuitae librum, Romae hoc titulo inscriptum: *Tractatus de haeresi, schismate, apostasia, sollicitatione summi Pontificis, et de potestate summi Pontificis in delictis his puniendis*, damnat. Qui ex decreto supremae curiae, carnificis manu combustus fuit; quod in illo, Pontifici potestas directiva et correctiva in Principes, asserta esset, apud GRAMMONT. *Lib. XV, pag. 675, seq.* Vbi P. Corbon professus est, Iesuitas aliter Romae, aliter Lutetiae sentire; quia cum coelo animus eorum mutaretur. In Germania interim praeualidis Ligistarum armis Protestantes premuntur; Tillium enim eorum ducem Iesuitis addictissimum fuisse, constabat.

§. 13. Circa finem an. MDCXXVI, Pragenses, Ossa S. Norberti, qui ordinis monachorum Praemonstratensis autor habetur, ex consensu Magdeburgensium, quorum olim Archiepiscopus fuerat, Pragam magna cum pompa transulere, teste PIASECIO *Chron. fol. 400*, et CAROLO CARAFA *Comment. de Germ. Sacra Religio pag. 318, seq.* Vnde cum postea urbs a Tillio expugnaretur et devastaretur, Pontificii causam in ablata tanti patroni ossa, contulere. Ferdinandus autem II, hoc tempore, noua edicta in suis ditionibus seuera, contra Euangelicos promulgare haur destitit. Vid. *Decreta et diplomata ex Cancellaria aulic. Imperii coniunctim edita, pag. 94, seqq.*

§. 14. Urbanus VIII, Papa, an. MDCXXVII, in Bulla Coenae Dominicae promulgata, excommunicauit ac anathematizauit omnes haereticos, et qui illis fauerunt, auxilium aut consilium suppeditando. Quo, cum non obscure Regem Galliae peti intelligeretur, illius in Gallia publicatio interdicta fuit. Nam clerus Gallicus, Pari-





Parisiis congregatus iam Regi scrupulum: an armis etiam restituendi, aut iuvandi essent illi Principes, qui Sacra a Romanis diuersa sectarentur? exemerat, libro de eo in vulgus edito. Interea Ferdinandus II, nouum aduersus Protestantes in Bohemia edictum promulgat, quo omnes Religionem Romanensem amplecti iubentur. Vid. CARAFA *Germ. Sacr. Restaurat.* pag. 343, seq. et pag. 385. Sequenti anno, in Austria superiori, Nobilibus protestantibus emigratio indicitur, apud eundem pag. 391, et 403. Per id tempus Londini in Anglia Maneringus, ecclesiastes, pro concione dixerat: Regem in omnium ciuium bona ius habere, ac omnia Regis esse, non solum quoad iurisdictionem, sed etiam quoad proprietatem. Quo asserto, multorum ciuium animi ualde commoti fuerunt. Sed Cantuariensis Archiepiscopus, illam concionem pronuntiavit temerariam. Vid. IONSTON. *Rer. Britann. Lib. XXII.* Dantisci etiam inter Hermannum Rathmannum, Ecclesiasten, et alios Theologos, anno XXV exorta est contentio, de uirtute uerbi diuini in conuersione hominis, quam HARTKNOCHIVS *Hist. Eccles. Prussicae Lib. III, cap. 8,* describit. Conf. RATHMANNI ipsius *Quaestiones undecim*, Dantisci an. 1623 publicatas; et CONSTANTINI SCHÜTZII, Theol. Gedanensis praeclare meriti, *Manes Rathmanni intempestiue euocatos.*

§. 15. Interea uictoria per Germaniam Caesaris arma, ut Protestantibus magnam sollicitudinem inieceret, ita Iesuitis animos addiderunt, ut pacem Religionis Augustae olim factam, publicis scriptis, iisque seditiosis oppugnare non amplius dubitarint; calumniantes, Lutheranos ab Aug. Confessionis doctrina iam defecisse, ac adeo pace illi superstructa amplius gaudere non posse. Hac de causa Theologi Saxonic, iussu Electo-

ris Sax. scriptum apologerium sub titulo: Nothwendige Bertheidigung des Heil. Röm. Reichs Augapffels publicarunt. Quod Iesuitae, inter quos dicacissimus, *Laurentius Forerus*, iterum satyricis atque maledicis libellis (wer bat hat das Kalb ins Aug geschlagen: Es mißte wohl eine Kuh sechen: *Andreae Fabricii* Brill auf den Evangel. Augapffel &c.) editis infestant. Ideo tandem laudati Theologi, ut tot calumnias simul diluerent, publica autoritate, librum apologerium Haupt-Bertheidigung des Augapffels, in lucem emisere, quem lacessere denuo turbidi Iesuitae non intermiserunt: Nichts ist gut für die Augen: Item, *Ex nihilo nihil fit*. Interea Capitulum Magdeburgense, *Augustum*, Electoris Saxoniae, filium secundo genitum, Administratorem Archiepiscopatus postulavit, quod Caesari parum gratum erat. Vid. *CARAE Germ. S. Restaurat. p. 394. seqq. et p. 402.*

§. 16. In Gallia Cardinalis Richelius, cui summa rei Franciae commissa erat, Hugonotorum propugnaculum, *Rupellam*, terra marique obsessam, sub finem mensis Octobris anno MDCXXIX expugnauit. Qua capta, Hugonotorum vires in Gallia concidere, simul libertate religionis periclitante, aut succumbente. Historiam memorabilis huius obsidionis, et constantiae Rupellensium, *GRAMMONDVS Hist. Lib. XIX*, prolixè describit. Pontifex Rom. Galliae Regi hac de causa gratulatus, his verbis exorsus est: *Vox exaltationis et salutis in tabernaculis; uideat peccator et irascatur, Synagoga Satanae contabescat* etc. Literas uero hasce Papae sanguinarias, *Iosephus Hallus*, Episcopus Exoniensis, publico libello perstrinxit.

§. 17. In Germania, cum insequenti anno XXIX *D. Georgius Zeaemannus*, Campidunensium Theologus

Luthe-

